Epigrammatum

ROGERI LORT

Armigeri, Cambro-Britanni, Oxonienſis;

Collegii olim Wadhamenſis,

NUPER

De Societate Medii Templi,

Liber primus.

Imprimatur. *Jo. Langley.*

LONDINI,

Typis *R. A.* ſumptibus *Johannis Wright*, ad Inſigne Capitis Regii in Vico vulgò dicto Old-Bally.

cIↃ IↃc XLVI.

EPIGRAMMATUM
ROGERI LORT
Armigeri Cambro-Britanni
Liber primus.

Ad Lectorem.

CArmina præponit Liber hic, ut fercula cœna,
Si, Lector, placeat carpere, carpe tibi.

Bellum inteſtinum.

Inteſtina vocant omnes civilia bella:
Sed non civiles talia bella gerunt:
Res inter ſævos agitur civiliùs Urſos,
Vivitur inſanos mitiùs inter Apros.

Ad Lectorem de Mercurio { *Britannico,* / *Civico,* / *Veridico, &c.*

Quâque die clamant iteratâ voce per urbem,
En tibi Mercurius, Lector amice, novus.
Nulla dies Lunæ, Saturni, nullaque Martis,
Nulla dies Veneris, nec manet ulla Jovis:
Hebdomadas ætas donavit priſca Planetis,
At nunc quæque dies Mercurialis erit.

De Comite Pembrochiæ.

Nobilitas ſi ſit virtus, ſi nobilis ille
Quicunque heroicis eſt oriundus avis:
Pembrochiæ Comiti (Patriæ qui fidus amicus)
Producit paucos Anglia noſtra pares.

Phœnix.

Unicus in mundo Phœnix, qui, quando seneſcit,
Dum perit in flammis, ſe parit igne ſuo.

De bello civili Britannico.

Inſula, quæ varios fuit indiviſa per annos,
Rumpitur in partes, Anglia tota, duas:
Filius in patrem, fratres ſunt fratribus hoſtes,
Ipſa ſuo conjux eſt inimica viro:
Quòd ſint diviſi quid prodeſt orbe Britanni,
Dum ſic contendunt Marte perire ſuo?

In Concionatorem quendam.

Turgida quòd loqueris, ſed inania verba, probaſti
Pulmones ſolidos, invalidumque caput.

In lites Independentium & Presbyterorum.

Independentes contendunt, Presbyterique,
Qualiter Eccleſiis ordo futurus erit:
Ordine qui juſſit fieri, jubet omne decenter;
Vos igitur pacem juſſit habere Deus.

Ad amicum quendam.

Carmina, ſed craſsâ quæ ſunt dictata Minervâ,
Quò faveat votis noſtra Camœna tuis,
Mittit; & erubuit quòd ſit tam curta ſupellex,
Ut nec plura tibi, nec meliora daret.

Liber quadrifariam.

Liber, pace tuâ, ſit liber quiſque bibendo,
Charta ſit ex libro, dicitur inde liber.

De Spurio, ad Oenum.

Filius hic populi cum ſit terræque, cur idem
Filius hic dictus nullius eſſe patris?
Dicatur cujus, te judice, natus Oëne,
Quem peperit nulli fœmina nupta viro?

Mos

Mos erat antiquo, ſic noſtro tempore, patres
Acquirant alios qui caruere ſuis.
Suſcipis ergo gradum Doctoris, quòd tibi patrem
Doctorem cathedræ ſic habuiſſe probes.

In J. P. Pembrochienſem rapaciſſimum.

Barbarus has ſegetes? ubi prima Poemata ſcripſit
Quæſtio, ſi memini, Virgiliana fuit:
Quæſtio jam nulla eſt, nam Major Pembrochienſis
Non tantùm ſegetes, quicquid, ubique, rapit.

Ad quendam anonymum ex vulnere ægrotantem.

Meta tuæ vitæ mors eſt, nox meta diei,
Vita ſubeſt fato, nocte ſepulta dies:
Clara ſed obſcuram ſequitur lux altera noctem,
Succedetque tuæ vita ſecunda neci.

Ad Priſcum.

Mandatum eſt nuper conſulti, Priſce, Senatus,
Quilibet ut ſtudeat publica; nemo ſua:
Hoc eſt, crede mihi, naturam pellere furcâ,
Namque ſui cuivis uſque recurret amor.

De indiſpoſitione humana.

Cur facilè diſcat quæ dediſcenda juventus,
Et, quæ proficiant, cur meminiſſe nequit?
Scilicet invitâ facimus meliora Minervâ,
Quæ mala ſunt omnes iſta libenter agunt.

Fœnus ex Fœnore. Vſe vpon Vſe.

Quotidie generat, generis ſed neutrius, aurum,
Uſurâ ſpecies multiplicatur opum:
Fœnore facundi nihil eſt fecundius auri,
Fœnus enim, quando naſcitur, inde parit.

In Aulum.

Nil agis omnino, vel ſi quid feceris, Aule,
Iſta cupis fieri, quæ, modò facta, doles.

De

De quibuſdam Mori Epigrammatis.

Morus de claudo cœcoque Epigrammata ſeptem
Fecit, de ſeptem vix Epigramma bonum:
Non claudum ingenium Mori, res claudicat ipſa;
Nullum, thema capax ni ſit, acumen erit.

In quendam.

Littera quæque tui curvatur nominis; uxor,
Quo te cornutum redderet, omen habet.

Ad Lodovicum Dives Militem.

Lazarus es, Dives, dives re & voce fuiſti,
Poſthac re pauper, nomine dives eris:
Hæc tamen infœlix non eſt mutatio rerum,
Si ſis Abrami, cùm moriare, ſinu.

Aqua vitæ ægrotanti.

Sacra Dei ſoboles, hominum ſpes unica, Patris
Pro quibus ad dextram nunc Mediator ades:
Quâ peccata laves, maleſanaque corpora ſanes,
Tu fons es vitæ, Chriſte, perennis aquæ.

Anglorum patrimonium.

Regis ad exemplum velit Anglus vivere; nolit
Regis ad arbitrium, cur? quia liber erit.

Mors, Vita.

Janua mors vitæ: tamen intrat nemo libenter;
Eſt via mors vitæ: quis velit ire viam?
Quid fugimus mortem, vitam dum morte lucremur,
Æternùm ſupereſt dum moriendo ſalus?

Ad Oclandum, de Anglorum præliis veteribus cum hodiernis comparatis.

Qui veterum claros recitas Oclande triumphos,
Et canis Angligenûm facta notanda Ducum:

Tanta

Tanta hodie todidemque tribus geſtantur in annis
Prælia, quot libro non numeranda tuo.

De capite.

Summum membrorum caput eſt, in parte ſuprema
Ponitur, unde pedes, quô cupit ire, docet.
Hic ſenſus habitant, capitales quinque miniſtri,
Quorum conſiliis inferiora movent.
Heu! caput & ſenſus Anglorum febre laborant,
Nec facit officium peſve, manuſve, ſuum.

Labor.

Diis labor eſt tanti, quanti mortalibus aurum;
Vendit homo nummis cuncta, labore Deus.

Ad quendam Cæſarianum.

Oxonio Muſas dominanti Marte fugatas
Londini recolis; Cæſariane, ſapis:
Concilium Regni magnum (Deus annue votis!)
Diſcat ab exemplo Cæſar adire tuo.

In Annam.

Alba tibi quòd ſit facies, quòd lumina nigra:
Quòd cingat nigras candida vitta comas:
Quòd ſic diſſimili gaudes, ut vel tibi zona eſt,
Nigraque cum niveo mixta colore toga:
Ipſa, licèt pulcra & juvenis, mihi velle videris
Deformis, vetulus te petat, Anna, procus.

Ad inſignem virtute Ducem Thomam Fairfax,
Equitem auratum.

Dux novus hic noſter quantus jam creſcit in horas,
Commiſit quoties prælia victor abit.
Milite tam pauco, tantillo tempore, victor
Non toties Papæ terror Adolphus erat.

Rupertum

Rupertum ſuperat furibundi Martis alumnum,
Quemque fugat campis, obſidione capit.
Aggreditur precibus pariter cum viribus hoſtem:
Creditur arma minùs quàm valuiſſe preces.
Macte animo: ô tandem concedant fata Britannos,
Cum tu finieris vincere, pace frui:
Dicaris facilè Princeps (fortiſſime FAIRFAX)
Quot ſunt Anglorum, quotque fuere Ducum.

Londinum.

Te cecinit vates Æternam Wallicus Urbem,
Nunc invincibilem rectiùs eſſe canat:
Hoc docuit verum ſera experientia Regem,
Ergo à conſiliis Rex fateare malos.

Ad Perſium, de Satyris.

Scripſiſti abſtruſas Satyras; licèt Oedipus eſſet,
Mentem nemo poteſt enucleare tuam:
Negligit id lector quod non intelligit: ergo
Cur obſcura facis carmina? nemo leget.

De ſeipſo.

In tres diviſit partes quodcunque reliquit
Terrarum nobis, poſt ſua fata, pater:
Una, nec invideo, matri (dum vita ſuperſit)
Pars pro dote ſua, lege jubente, manet.
Nec reliquum noſtrum eſt; quærunt patrimonia fratres,
Et dotem poſcit non mea nupta ſoror.
Sors mea parva licèt, contentus ſorte, nec illam
Improbo, nec ſortem, quam tenet alter, amo.
Defectum ſortis JESUS (mea portio) ſupplet:
Quas fortuna negat, dat mihi Chriſtus, opes.
Si Deus aſſiſtens, aderit pars tertia ſortis:
Propitio Domino pars ſatis una mihi.

Reſurrectio.

Reſurrectio.

Surgit ut è lecto ſatiatus mane ſopore,
Omnis Judicii mane reſurget homo.

Dives quis?

Divitiæ non ſunt nummi, numeroſa ſupellex,
Non pecudes, gemmæ, nec bene ſtructa domus:
Dives enim ſolus quiſquis contentus, & ille
Qui bona tot, vitam quæ tueantur, habet.

Schiſmata.

Unio ſchiſmatibus directè opponitur; ergo,
Dum Britones pugnant, ſchiſmata tanta vigent.

Ad manes Franciſci Lloyd Armig.

Dum tua fata dolet Muſarum tanta caterva,
Me, Franciſce, tui non meminiſſe, nefas.
Qui ſimulac cognatus, eras mihi notus amicus,
Nodus amicitiæ nec violatus erat.
Qui mihi per ſyrtes, & præcipitantia ſaxa
Laugharnæ fueras, nocte timenda, comes.
Solvitur in lachrymas celebrans tua fata Camœna,
Et cadit in geminas plurima gutta genas:
Abſtergas mea Muſa genas, ſi flumina fletum
Profuerant vitæ, non tibi flendus erat.

Nummus. Amicitia.

Utilius quiddam Cicero vel Sole, vel igne,
Dixit amicitiam pluribus eſſe locis.
Nummus amicitias hodie parit; abſque moneta
Londini nequeo Sole, vel igne, frui.

Ad I. C. ingenioſiſsimum.

Ut capias mures (quæ gens inimica libellis)
Diſponis mirâ dexteritate librum:
Magna eſt *Charta* liber parvus, quam infringere chartam
Straffordus cupiens, abſtulit illa caput.

Ad manes Gulielmi Laud, *Archiepiſcopi ult. Cantuarienſis.*

Si tibi, præ reliquis, animarum cura fuiſſet,
Solaque feciſſes quæ facienda tibi:
Non odium populo jam nomen, Epiſcopus, eſſet:
Staret adhuc humeris, Metropolita, caput.

Homo.

O miſerum primi quem fecit lapſus Adami,
Fixa tuo lateri mortis arundo latet:
Non optare potes, mortalis homuncio, vitam,
Si non imprimis det tibi velle Deus.

In quendam. S. T. inſipidum.

S't ſine vocali verbum, mandatque tacere,
Vel paucis alium te voluiſſe monet.
At tu grandiloquus paſſim tot inepta profaris,
Nominis ô memoras non elementa tui.

In Ballum Cauſidicum.

Ballus agens cauſas, pereant ne dona clientum,
Multa tacenda edit, multa loquenda tacet.

In Aulum.

Decipiens alios, aliquando falleris ipſe,
Fallere vel falli ſed Deus, Aule, nequit.

Ad Robertum Rud Theologum doctiſsimum.

Qu d ſint grata tibi juvenilia metra, Roberte,
Candor cauſa tuus, non meruere modi:
Judicii veſtri reveretur Muſa tribunal,
Non te quod pungat carmen acumen habet:
Eſt tamen hic veſter juvenis reſpectus amici,
Ut fateare nihil diſplicuiſſe tibi.
Sed cur me ſacro cupis aſſimilare Poetæ,
Pone Poëtraſtros qui numerandus eram?

A Nemesi invisa est tantæ mihi gloria famæ,
Et me laude tuâ non sinit illa frui.
Non equidem invideo Gulielmus Chaucer haberi,
Quod Sidney me vis, invidet ille mihi.

Talpa, Halec, Cameleon, Salamandra.

Talpa merâ terrâ nutritur, fluctibus Halec,
Aere Cameleon, & Salamandra foco.

In Guinnum quendam Poetastrum Authorem
Metris nuper adulantem
vitiosissimis.

Laudibus hisce tuis fateor me, Guinne, minorem,
Conveniunt meritis non tua metra meis;
At sic conveniunt, ego non sine crimine vivo,
Guinne, suis vitiis nec tua metra carent.

In Phillida.

Colicus ut vexat morbus (nec te pudet istud)
Pulmonem, dicis, nunc pituita premit:
Omnes scire velis quod anhelâ, Philli, laboras
Tussi, ne scirent pedere quando soles.

Epitaphium Lodovici Phillips *Theologi.*

Qui situs hìc Mystes, quæ dixit talia fecit,
Voxque fuit vitæ non aliena suæ.
Ædibus his, per lustra decem, pia vota profudit,
Solus & officium præstitit ipse sacrum.
Ostia non Iro obstruxit, nec Lazarus unquam
Jejunus stomacho, corpore nudus, abit.
Hunc, qui succedis, sequeris non passibus æquis,
Si populum quæ non feceris ipse doces.

Ad Phædrum.

Cornua nec canos producit sola senectus,
Ambo tibi juveni nam tua Phædra dedit.

Homo homini { *Deus.* / *Lupus.*

Qui lupus eſt aliis homo jam reperitur ubique,
Rarus adeſt, homini qui Deus eſſet, homo.

Ad illuſtriſsimum Ducem omitem Eſſexium.

Dux, oriente prius, tibi cùm Bellona faveret,
Miror, in Occiduo, non tibi præſtet opem.
Haud aliter Phœbus, bigis properantibus, oris
Surgit in Eois, Occiduiſque cadit.

Ad Lectorem cautio.

Si ſtudeas famæ, Lector; maledicere vati,
(Fama etenim vatum pendet ab ore) cave.

In Epicurum Atheum.

Corpus mancipium mentis, cui ſubjiciatur,
Poſtulat ut ratio, ſic Deus ipſe jubet:
Dum facis inſipido mentem ſervire palato
Ut ratione cares, ſic, Epicure, Deo.

Charin Croſſe.

Cur ſtet adhuc pauper, dum crux cadit undiq; Charin?
Hæc operæ pretium non habet unde cadat.

Aliud.

De crucibus pauper ſtat Charin una ſuperſtes,
Non hodie pauper, dives ubique jacet.

Ad Lectorem, in obitum J C. *&* T.C. *fratrum ſimilium diſſimilem.*

Una ferit binos ictu mors impare fratres,
Febre unus moritur, deperit alter aquâ:
Tam ſimiles inter fratres diſcordia, Lector,
Non fuit in vita; funere quanta fuit?

In Cavalierum.

Subjicis arbitrio Regis, Cavaliere, Britannos,
Ruſticus ut ſolitus ſub juga ferre boves.

Suum

Suum cuique ſatis.

Mendicum alloquitur, pariter cum divite, Chriſtus,
Eſto ſatis vobis quicquid habetis opum:
Quicquid habet ſatis eſſe ſibi fateatur; uterque,
Nil tulit in mundum: ſic nihil inde feret.

In Independentem propriè dictum.

Pœnas, à nullo dependens, in cruce pendat,
Quo dependeret, qui cruce pendet, habet.

Verè Trojanus quis?

Excreviſſe ferunt Londinum funere Trojæ,
Et Britones Bruto ſtemmata ducta probant:
Si ſerò ſapuiſſe notet quis Troius eſſet,
Quis nunc Anglorum ſe neget eſſe Phrygem?

Ad Lectorem, de ſemetipſo.

A patriis laribus, gnatis, uxore, parente,
Gerrardi nuper milite pulſus eram:
Dumque neceſſe mihi malefido credere Ponto,
Hinc video ſegetes, inde perire domos;
Heu ſpectare diu (nec enim patientia) flammas
Tot, tantaſque, oculi non potuere mei:
Nec mora; Londinum, per mille pericula vitæ,
Londinum, Thameſis quà fluit unda, peto:
Hìc venit una novem (quarum pia turba) ſororum
Et de Pegaſidum fonte miniſtrat aquam.
Præſtat in anguſtis divina ſcientia rebus:
Stultitiam, Lector, nam patiuntur opes.

Lupus Anglicanus.

Anglia tota lupum nuper non protulit unum;
Nunc, ubi narratur fabula, præſtò lupus.

Ad Socios medii & interioris Templi.

Interius mediò nihil eſt, hoc diſtat ab omni
Extremo, hoc virtus gaudet ineſſe loco.

Nemo

Nemo putet veſtro quòd ſit diviſio Templo:
Interius medio nam nihil eſſe poteſt.

Vtenti } *non* } *dabitur.* *Habenti*

Quicquid gazarum loculis retinetur avari
Divitiæ non ſunt, nam facit uſus opes.

De Sexto.

Tale nihil metuens Sextus ſpoliatur ab hoſte;
Hic rapuit nummos, abſtulit ille boves.
Nunc melius ſervaret opes ſi quando redirent
Sextus ait: Troës, ut ſapuere, ſapit,

Ad Johan. Steevens, I. C. Medii Templi Socium.

Delinquens, pœnas qui non in corpore pendit,
Crumænâ coram te malefacta luet:
O, ſi Cauſidicus ſimilis tibi quiſque fuiſſet,
Facta tueretur nullus iniqua cliens.

Ad Michaelem Oldſworth Armig.

Dignus es eſſe ſenex, patriæ qui vivis amicus,
Nec moriare velim, te licet opto ſenem.

In Ponticum ſuperbum.

Mirabar quoties iratum, Pontice, vidi
Te, tibi dum verbis quiſque placere ſtudet:
Sed, te qui nôrunt, non te quaſi numen adorant;
Pontice, cur bilis tanta ſit atra, ſcio.

In I. P. vitioſiſſimum.

Nemo te pejor quamvis ſit peſſimus, omnem
Contendis vitiis exuperare gradum.

Ad T. I. fortiſſimum.

Uxorem duxti juvenem, nec inutilis eſſes
Tu patriæ, quamvis mancus utraque manu.

Uxori

Uxori dabis ergo operam, patriæque, fidelem,
Si possis speciem multiplicare tuam.

Ad Johannem White *cognatum, è Societate Medii Templi.*

O Cognate mihi duplici qui fœdere junctus,
Quo, nisi frater erat, sanguine nemo prior,
Qui procul à patriis, Londini vivis, amicis,
Hic proprior studiis quò potes esse tuis.
Dum juvenis, dum tempus adest, incumbito libris,
Cui studeas posthac, forsitan uxor erit.

Ad B. Whitlock, I. C. *Medii Templi Socium.*

Cognomen senioris habes, mentemque sagacem,
Pars tamen est vestræ candida nulla comæ.
Annos antevenis meritis; juvenisque, senexque
Tu simul es, juvenis corpore, mente senex.

De Gellia.

Gellia nupta fuit: citò vir properabat ad Indos,
Postque duos annos, cum rediisset, obit.
Gellia, quod mirum, licet uni nupta marito,
Ante fuit mortem bis viduata suam.

Pauca satis, si nitida.

Culta placet nobis, quamvis sit curta, supellex,
Et speciosa, licet non spatiosa, domus.

De Symone.

Sunt totidem quot verba joci quæ, Symo, profaris;
Tantus inest dictis, tantus in ore, lepor,
Ut, si Heraclitus, seu te Cato cerneret usquam,
Mutaret genium, Democritusque foret.

Ad Lectorem.

Si qua meis, Lector, videas epigrammata chartis
Esse Latina parum, seu vitiosa nimis;

Carpe,

Carpe, nec indignor; nam dormitavit Homerus,
Non dormire licet ſæpiùs ergo mihi?

De Johanne quodam ſignifero.

Poſtquam dextra fuit gladio præciſa Johannis,
Uxorem, qualem noluit ante, capit.
Vexillum Martis, valuit dum dextra, gerebat,
Sub ſigno pugnat nunc Cytherea tuo.

Ad Johannem Maynard J.C. legis & libertatis Angliæ aſſertorem ſtrenuum.

Si juris-prudens dicatur, ſive peritus,
Qui cauſam queruli voce clientis agit:
Juris-patronus potiùs, Maynarde, voceris,
Namque tibi, Britonum lex fuit ipſa, cliens.

Ad Symonem.

Hic, quem cernis, eques tyrio ſpectabilis oſtro;
Annos ante duos, Symo, pedeſter erat.

Ad Lectorem.

Carmina ſi, Lector, placeant tibi noſtra; dabuntur
Plurima; ſin aliter, plus ſatis iſta. Vale.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 10JY77